



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Ratione philosophica eadem veritas probatur. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

minate, vera erit. Ad hæc, cum voces substituantur in locum intellectuum, & conceptuum, si aliqua scientia futurorum vera est proposito enuncians illa futura, vera erit; ut si Propheta, vel Deus, qui futura nouit, ea vere scit, vere etiam prænunciat, & cum veritate simpliciter affirmare potest. Quocirca si Arist. crederet, esse aliquam scientiam veram de futuris, siue ipsius Dei, siue ab ipso Prophetis reuelatam, qua ratione negaret propositionibus de futuro veritatem?

Quare mihi persuasum habeo Arist. sicut etiam Ciceronem, ut libertatem arbitrij defenderet; veritatem ac proinde omnem scientiam illarum negasse. Nam si scientia vera eorum esse potest, veritas etiam in rebus esse debet: & contra, si veritas in ipsis est, scientia aliqua esse potest: quod si nulla in eis est veritas, nec aliqua scientia, etiam diuina eorum erit: ideo diximus, Aristot. tacite denegasse Deo certam scientiam futurorum, cum veritatem etiam futurorum negauerit. Id quod mihi fit magis probabile, quia ex sententia aliorum Patrum vix aliquibus ipsius Arist. locis deducemus, infra disp. 87. plane etiam negauit Deo providentiam rerum omnium singularem: & propter hanc rationem existimauerim, sententiam Arist. ut à nobis explicata est, verè fidei aduersari quod ex ea scientia futurorum de medio tollatur.

Secundo ex ipso Arist. habemus, nihil omnino referre, ut propositio aliqua de futuro sit vera, si illa enuncietur ab aliquo, vel non: atque eadem ratione dicere debet nihil etiam interesse, si res illa sciatur esse futura, vel non dummodo res ipsa futura sit: reddit rationem his verbis: *Non enim quia affirmatio dicta est, vel negatio, ideo res erit, vel non erit: ac si dicat, non ex eo propositio est vera, vel res vere futura est, quia dicitur esse futura: adde etiam, aut quia scitur: sed potius contra, ideo vere dicitur, & vere scitur esse futura, quia vere futura est, ab eo enim quod res est, vel non est, propositio, imo etiam scientia est vera, vel falsa. Atque hoc ipsum ratio manifeste docet: neque enim res ideo futura est, quia intelligitur, aut dicitur esse futura sed ex suis causis habet, quod sit futura.*

Tertio, etiam si demus Thomistis, res futuras, ab æterno esse prædicates æternitati, & ideo à Deo certo cognoscis: nihilominus fit, ut futura determinate sint futura, & propositiones de futuro sint determinate veræ, aut determinate falsæ. Nā si res futurae sunt prædicates in æternitate, & determinate prædicates, ut cognoscantur, consequitur inde, easdem esse futuras: imo prius esse futuras, quam prædicates: neque enim ex eo, quod res sunt prædicates æternitati sunt futurae in tempore: sed potius contra, quia sunt in tempore suo futurae, sunt etiam prædicates æternitati: iam igitur res ex sua causa, futura erat, ut æternitati prædicates esse posset. Quod si ex sua causa res considerata, nec futura erat distincte, nec non futura, sed futura, vel non futura confuse sit, ut nihil aliud potuerit esse Deo prædicates in æternitate, aut etiam obiectum in suo intellectu, quam illud complexum sub distinctione, *Erit, vel non erit*: res enim sicut in se sunt, eo modo Deo obijciuntur, nec ex eo, quod obijciuntur, tales sunt: sed potius contra. Ex quo etiam inferitur id, quod dixi Aure. nempe Deum non nosse, Antichristum fore: sed fore vel non fore, esse manifeste contra fidem: nam ut bene notauit Boeth. de consolatione prola 2. *Si nulla alia in deo, quam hæc est* *Yaquez in 1. part. Tomus I.*

sci præscientia, quamam dici possit præscientia? aut quo differret præscientia Dei ab illo ridiculo oraculo Tiresie apud Horatium lib. 2. sermo.) *Quicquid dicam, aut erit, aut non erit? quid etiam diuina providentia humana opinione præstiterit si vii homines incerta indicat?*

CAPVT III.

Ratione Philosophica eadem veritas probatur.

Præter rationes, quas præcedenti c. formauimus, quæ licet ex principiis naturalibus depromptæ sint, ad absurda tamen contra fidem aduersarios deducunt, sunt etiam aliæ rationes, faciliores quidem, & naturales, & ex ipsiusmet Arist. doctrina desumptæ, quibus eadem nostra sententia confirmatur.

Prima est, qua vtitur Gregor. loco allegato, quoniam Arist. 4. metaph. text. 27. docet, quemcumque affirmantem, & negantem dicere verum, aut mentiri, hoc est, aut dicere falsum, & ratio ipsa id aperte docet. Nam cum falsum sit id, quod est dissonum rei, verum autem quod est conforme, fieri nequit, ut id, quod dicitur, non sit aut conforme aut dissonum distincte, & determinate rei, quam enunciamus, ergo erit aut falsum, aut verum etiam determinate, & non solum verum aut falsum confuse, ut ait ipse Arist. in lib. de interp. cap. 3. oportet igitur in propositionibus de futuro alteram esse veram, alteram vero contradictoriam, esse falsam. Accedit quod ut ait Greg. non videtur quo pacto inter contradictoria possit esse aliquod medium, ergo inter fore & non fore, non est medium aliquod, quod si esset, dicendi, rem fore, non recte contradiceretur dicendo non fore, quia non negaretur totum, quod ipse assereret, si est aliquod medium extra asseritionem, & negationem.

Sed exemplo rem illustremus, si aliquis dicat, *Petrus cras peccabit*, secundum sententiam Arist. non dicit verum, neque falsum distincte, sed verum, vel falsum: quia indifferens est res, ut sit vel non sit, similiter si dicat alius, *Petrus cras non peccabit*, non dicit verum, neque falsum, sed verum vel falsum, ergo vnus non negat totum, quod alius affirmavit, sed vtriusque enunciatio quasi suspensa, & anceps manet, quousque enim vnus verum dicat & alius falsum, vnus alteri non contradicit, cumque enunciatio futuri semper sit indifferens ad verum & falsum, nunquam poterit esse alterius contradictoria, ergo sola contradictio in rebus futuris hoc modo esse potest: *Erit, aut non erit: neque erit, neque non erit*, quarum prior est vera, quia necessaria, posterior vero falsa, quia impossibilis.

Secunda ratio, si nihil est determinate futurum sed quælibet res anceps est ad fore & non fore, sequitur eum qui absolute, & sine distinctione asserit aliquid fore, dicere falsum distincte, & determinate: asserere enim aliquid fore, quod recipi indifferens est, ut sit, vel non sit, nec magis futurum est, quam non futurum, falsum est ab eo enim quod res est, vel non est, enunciatio vera, aut falsa iudicari debet, & quoties aliter res enuntiatur fore, quam futura est, falso enunciat, ergo si enunciat distincte fore, quod non est distincte futurum, sed confuse futurum, aut non futurum, sequitur, est, falsum, ac proinde omnem propositionem de futuro affirmantem distincte & determinate falsam esse, iam igitur in contradictionibus de futuro altera est falsa, ac proinde omnis enunciatio negans debet esse distincte, & determinate vera:

vera: hoc autem, præterquam quod manifeste absurdum est, doctrinæ Arist. aperte aduersatur, quia in his contradictionibus putat, non alteram partem esse veram & alteram falsam, sed utramque veram vel falsam.

Retorqueretur eadem ratio.

16
Tertia ratio ex principiis Arist.

Deinde retorquero argumentum, & probo utramque partem contradictionis esse falsam: nam si enunciatio affirmans est falsa, quia determinate affirmat, quod ambiguum est, eadem ratione negans erit falsa quia negat quod ad utrumque anceps est: quia non dicit, non fore, quod non futurum est, sed non fore, quod futurum; aut non futurum est, quare ipsemet Arist. ex suis etiam principiis redargui, & convinci facile potest. Tertio contra eundem ex ipsius principiis sic arguo, si in vniuersalibus contradictionibus hoc est, de subiecto vniuersali, & communi altera est vera distincte, altera falsa, ut in præcedentibus capitibus lib. 1. de interpretatione & in illo 8. in principio docuerat Arist. sit, ut in singularibus idem sit dicendum, id quod exemplo perspicuum fiet. Nam hæc propositio, *Omnis homo mortaliter peccabit cras*, & hæc aliquis homo non peccabit mortaliter cras, sunt contradictoria, & ex sententia Arist. altera illarum distincte falsa, altera vera: est enim contradictio vniuersalis: quod si aliqua ex illis est distincte falsa, manifestum est, esse vniuersalem illam, *Omnis homo peccabit mortaliter*: credendum enim est, in tota Ecclesia Dei aliquem cras immutem futurum à peccato mortali deinde altera particularis debet esse vera, cumque subiectum in vniuersali affirmante secundum regulas logicorum supponatur distributius, & per descensum (ut aiunt) copulatiuum falsitas illius debeat deprehendi, ex eo quod aliqua singularis sit falsa, sequitur in contradictoria subiectum supponi determinate: ac proinde eius veritatem esse probandam descensu, ut aiunt, distinctione, ex eo quod aliqua singularis distincte vera sit. Nam si solum esset confuse vera, aut falsa, nulla singularis esset vera: quare nec illa particularis: quæ omnia ex logicis notissima sunt, & extra controuersiam: & id eo prolixius non sunt confirmanda. Ergo sub hac, *Aliquis homo mortaliter peccabit*, si ea est vera, debet esse aliqua singularis, ut *Petrus peccabit*, quæ sit vera: ac proinde in singularibus de futuro contingenti datur aliqua propositio distincte vera. Constat igitur nec secundum fidem nostram, nec secundum rationem philosophicam, & naturalem veram esse sententiam Arist. ut à nobis superius explicata est.

CAPVT IV.

Solutio rationum prioris sententiæ.

17
Iam vero argumenta sententiæ Arist. diluamus. Ad prius dicimus, necessariam quidem esse indifferentiam, ut res dicantur cum libertate euenire, tum etiam indifferentiam pugnare cum determinatione: sed non quamuis indifferentiam esse necessariam ad contingetiam, neque quamuis indifferentiam opponi cuius determinationi. Est igitur duplex indifferentia ad utramque partem contradictionis: quæ quam posuit Arist. & explicatur recte per duas propositiones, quas vocant de inesse hoc modo: res est indifferens, & suspensa ad fore, & non fore, ita, ut in se sic pendeat fore, sicut non fore, & hæc quidem pugnat cum determinata veritate alterius partis: quoniam in re cum hac indifferentia non magis est fore, quam non fore: ut

Quæ indifferentia requiritur ad libertatem & contingetiam futurorum.

ARTIC. XIII.

18
autem sit determinate & distincte veritas, altera pars distincte futura est. Hanc vero indifferentiam & suspensionem existimo non esse necessariam ad libertatem arbitrij: imo arbitrio impossibilem, & contra fidem nostram, ut præcedentibus capitibus probatum est. Si quidem constat ex scientia, & prædictione Dei libertate nostra alteram partem distincte esse futuram: hæc autem determinatio non lædit aliquo modo libertatem nostram: quare nec aduersatur indifferentiæ, quæ ad libertatem necessaria est, & deinde explicabitur. Nam cum res futura determinate, ex libertate nostra futura sit, & inde ortum habitura, nullam ipsi vim, aut necessitatem inferre potest. Altera igitur indifferentia est, quæ explicatur per viam propositionem de inesse, & alteram de possibili hoc modo arbitrium peccabit, potest, aut poterit non peccare, & contra. Cum hæc autem indifferentia constare etiam potest determinatio futuri, hoc est, alteram partem distincte de facto futuram esse: nihil enim obest, quod minus aliquid sit re ipsa distincte futurum & illud possit non fore, hæc igitur satis est ad statuendam plenam arbitrij libertatem, nam alio priori modo, ut indifferentia est impossibilis, ita etiam libertas: ergo nihil adiunxit libertatis ex eo, quod dicamus futura, esse determinate, aut distincte vera. Ex quo etiam Deus futura nostri arbitrij distincte cognoscere potest, tamen si indifferens sit & liberum ad oppositum. Sed obseruandum est, cum dicimus, futura esse distincte, & determinate futura cum potentia ad opposita, non tantum hanc determinationem esse in effectu, sed etiam dici respectu causæ, non quod in causis sit nunc aliquid inclinans necessario, & per modum naturæ ad illam partem, sed quod sit, vel futurum sit aliquid in causa, cum quo illa de facto ita sit operatura, ut possit nihilominus oppositum facere, & quia voluntas præueniri debet tali cogitatione ex hac aut illa causa, qua posita, reuera consentiet, etiam si posset non consentire, & cogitationi repugnare, in quo integra nostra libertas saluatur.

Ad posteriorem rationem Arist. respondeo, posita veritate de futuro, aut scientia Dei, quod idem est, sequi aliquam necessitatem in operatione, sed consequentem, non antecedentem, quæ nihil voluntati nostræ adimit libertatis. De qua re quia disp. 68. plura dicturi sumus, ut conciliemus scientiam Dei, & veritatem illius, atque rerum, & propositionum (quod idem est) cum arbitrio nostro, hæcenus dicta sufficiant.

19
Quæ sit determinatio in causa futuri contingens.

Veritas futura incertum quæ sit causæ necessitas.

DISPUTATIO LXVII.

An futura sub conditione, Deo certo cognoscuntur.

Quorundam Theologorum nostri temporis opinio, c. 1.
Non minus certo futura sub conditione, quam absolute futura à Deo cognoscitur, auctoritate probatur, c. 2.
Eadem sententia ratione confirmatur, c. 3.
Diluuntur argumenta oppositæ opinionis, c. 4.

CAPVT I.

Quorundam Theologorum nostri temporis opinio.

Tamen si antiqui Scholastici nullam huius controuersie mentionem fecerint, nec multis ante annis in Scholis ea ceperit disputari: digna tamen profecto est, ut diligenter examineur: cum ut ea, quæ de scientia Dei difficilia sunt, ex acde pertra-